

nium tam præsentibus exhibere quam posteris relinquere, quod factum est in præsentia Domini *Kanuti* Regis filii Domini *Waldemari* Regis Danorum invictissimi & nostra. In campis *Farthusa* non longe ab amne *Ethra*, *Johan Mosun*, *Salter Megindoris* filius, & alii habitatores *Farthusaheriz*, calumpniati sunt silvas fratrum nostrorum de *Esrom Mothorp* attinentes in præsentia Domini nostri venerabilis regis *Waldemari*. Qvi adjudicavit prædictis fratribus & cœteris qvi præfatam villam & calumpniatas silvas in possessione habebant, sacramento comprobare easdem silvas a justis possessoribus se adeptos fuisse, & ipso sacramento præstito, de jure easdem silvas in perpetuum debere absqve ulla calumpnia possidere. Præstitum est sacramentum, sicut supra testati sumus, in præsentia Domini *Kanuti* Regis & nostra & præfatæ silvæ de jure, ab ipso, fratribus in perpetuum sunt adjudicatæ, omni calumpnia in posterum abjudicata. Ea propter sicut tunc post præstitum sacramentum viva, ita & nunc post testimonium ejusdem præstiti sacramenti voce scripta precamur, ut ille qvi cœlis & terris præstitit, veram & perpetuam pacem donet omnibus, qvi pacem præfatis fratribus de *Esrom*, & præfatis silvis & possessionibus servaverint. Qvi vero de cœtero præfatis silvis præfatorum fratrum de *Esrom* aliquam calumpniam inflixerit, ponat Dominus partem ejus cum *Dathan* & *Abiron*, & sit in perpetuum anathema nisi resipiscat. Amen. fiat, fiat. Facta autem hæc sunt Anno Domini M. C. LXXXII *), qvo & ipsi Rex *Kanutus* a patre suo Princeps Hallandiæ constitutus est. Testes autem horum hii sunt, qvi & affuerunt, *Petrus* filius *Palni*, *Thove Skelmi* filius, *Magnus* filius *Ulf*.

77.

1177—1178.

Abbot PETERS i Remi skrifvelse till Lunds Årke-Biskop Eskil.

K. h. 2: 600. n:o 29.

Lundensi Archiepiscopo, Petrus Abbas sancti Remigij.

De duobus oculis meis, alterum ad me retineo, alterum frequenter ad vos, pater & domine carissime, retorqueo. Qui meus mihi remanet, quid in me videt? Certe plura, quibus condolet, quibus illacrymatur, quibus vsque ad nimiam suffusionem turbatur. Certe reptilia, quorum non est numerus: certe gentem illam nefariam, quam Ezechiel vidit depictam in pariete domus, quam iubente domino effoderat. Ad vltimum, quædam ineffabilia non profunditate mysterij, sed

*) Årtalet är felskrifvit för MCLXXVII, som är anmärkt i K. e. 1: 331.

enormitate corrupti animi. Sed quando ista cernit oculus? Quando incuruatur ad suas fæces reuoluendas, quando lucernam accendit & euertit domum quærens drachmam perditam, quando scissuras in muris Hierusalem & ruinas respicit, si forte cum Zorobabel & Esdra reparare licitum sit. Occurrunt vestigia erucæ, locustæ, bruchi, rubiginis, quæ deuorauerunt vniuersa speciosa deserti, pilosi, onocentauri, vlulæ, simiæ, & omnis generis phantasmatum grandis sylua. Si quando autem idem oculus sursum palpebras erexerit, & cælum aspexerit, videt Dominum innixum scalæ, vocantem & expectantem male soporatum, & dicentem, *surge qui dormis, & exurge a mortuis, & Lazare veni foras, & adolescens tibi dico surge, & puella surge.* Porrigit quoque manum Petro naufraganti, occurrit in via Saulo spiranti minas & cædes in discipulos Domini: prodigo filio reuertenti, stolam, anulum & calciamenta restituit, conuiuium & vitulum immolat, & misericordiarum suarum syluam condensam fugientibus & ereptis de laqueis ferreis ad sese refouendum offert. Hujusmodi collyrio releuatur turbatus de seipso ad seipsum oculus. Iam illum conuenio oculum, qui de vobis amicabiliter sollicitus, lustrat vias nostras & studia ab adolescentia. Dic mihi, bone ocule, de amico nostro quod occurrit, quod sentis, quod intelligis. Non sine multa fatigatione, inquit, gesta eius recolo, quia aliquando vidi illum supra nubes ambulantem, & vsque in densissimam altitudinem euolantem. Quis gloriam illam, quis potestatem, quis dominationem, quis rerum omnium opulentiam, quis erogationes & donationes tam largas, tam innumeras enarrare sufficiat? Quis enauigationes, quis marina pericula, quis insidias magnorum latronum dicat? Tandem Lucifer ille, qui mane oriebatur, qui inter astra Dei solium gloriæ & Archiepiscopatus tenuerat, non sicut fulgur de cælo cecidit, sed sicut filius hominis semetipsum exinaniuit, formam pauperis assumpsit, principis mundi exuias reiecit, vt si Laban Iacob insecutus fuerit, idola sua apud illum non inueniat, & cum Domino, saltem cum B. Martino dicat, Nihil in me reperies, inimice. Ecce sic humiliatus in Claravalle spicas recolligit post terga metentium, non glorians de labore, sed se humilians de impossibilitate. Voluntate quidem currit, & caritate cum prioribus & iuuenibus, sed ætate et infirmitate sortem habet cum nouissimis, vt sit nouissimus, vocatione, primus remuneratione: quia apud patremfamilias, cuius vniuersæ viæ misericordia & veritas, non est potior remuneratione qui prior tempore, sed prior denarij acceptione, qui posterior labore & tempore. An non ita est? Plane hoc probat veritas, quæ prius latronem de cruce transtulit in paradysum, quam principem Apostolorum Petrum, cui tamen dederat claues regni cœlorum. Pietatis est, parum de meritis præsumentem suscipere: securum vero, si necesse sit differre, & citius trepidantem a timore excutere, quam iam subarratum admittere. Ecce, pater amantissime, vt credo, non me fefellit oculus meus. Hæc enim eadem præter illum multi

alij de te mihi dixerunt. Sit itaque pax cum spiritu tuo, sit anima tua cum Deo meo. Sit melior finis orationis, quam principium, quia omnis laus in fine canitur. Totus sum vester.

78.

1178.

Ärke-Biskop ABSALONS Gåfvobref på Wä till Abbotstift för Premonstratenser Orden; jemte utbyte af Skipperslöf mot Kiaby och Kuicum Capell med hela socknens tionde.

K. e. 1: 258.

In nomine sancte & indiuidue trinitatis Amen. ABSALON dei gratia Lundensis Archiepiscopus, Apostolice sedis Legatus, Primas Danie atque Suethie dilectis in Christo filiis, *Tobie* & fratribus *ecclesie sancte Marie de We* tam presentibus quam futuris regulariter substituendis imperpetuum. Pro debito officii nostri summopere curandum est nobis ut vinea Domini Sabbath que prestantius in religiosis viget diffusa latius palmitum suorum propagine die in diem crescat & fructificet. Ea propter bonis vestris successibus filii in domino karissimi pie congratulationis affectu congaudentes & quod nostrum est exequentes prefatam videlicet ecclesiam sancte *Marie* in *We* cum omnibus suis pertinentiis ad faciendum Abbatiam Promonstratensi ordini perpetuo liberam concedimus insuper ecclesiam de *Kiebu* & omnia ad eam pertinentia capellam videlicet de *Kuicum* cum decima totius parrochie que ibidem in ius nostrum cedit pro Ecclesia de *Schippersleph* commutauit. Ut autem hoc ratum & inconcussum permaneat presentem paginam sigilli nostri impressione & testium subscriptorum munire curauit.

Ego ABSALON Lundensis Archiepiscopus, Apostolice sedis Legatus & Swethie primas. ss.

Ego SAXO Lundensis Ecclesie Canonicus. ss.

Ego TOBIAS Abbas de *We*. ss.

Ego MAGNUS Diaconus ABSALONIS Lundensis Archiepiscopi. ss.

79.

1178—1182.

Abbot PETERS i Remi Skrifvelse till Lunds f. d. Ärke-Bisk. ESKIL, som ingått i Clairvaux kloster.

K. h. 2: 602. N:o 135

Eskilo Londensi quondam Archiepiscopo, Petrus Abbas S. Remigij.

Frequens corporis molestia hortatur cogitare de patria, vbi nulla est tristitia. Quanto enim ista infelicioer quam patimur, tanto illa felicior quam